

Pasquale Malipiero, Doge von Venedig, an (Bartholomäus) von Liechtenstein, Hauptmann zu Bruneck und Statthalter des NvK. Er berichtet von einer neuerlichen Eskalation der Grenzstreitigkeiten zwischen den Gemeinden Enneberg und Cortina d'Ampezzo, in deren Verlauf Enneberger Vieh beschlagnahmt worden sei. Der Hauptmann von Cadore habe die Enneberger zur Zahlung der Unterhaltskosten für das Vieh verurteilt, worauf diese mit Gewalt gedroht hätten. Im Sinne der guten Nachbarschaft bittet er um mäßige Einwirkung auf die Enneberger. Er habe bereits befohlen, das Vieh zurückzugeben, sobald die Unterhaltskosten bezahlt seien.

Or., Perg. (Siegel an Hanfschnur): BOZEN, StA, U 1624 (Lade 70 Nr. 11).

Pasqualis Maripetro¹⁾ dei gratia dux Venetiarum etc. spectabili viro domino Johanni (!) Liechestainer, capitaneo Burnici (!) et reverendissimi domini cardinalis et episcopi Prixinensis locumtenenti²⁾, salutem et sincere dilectionis affectum. Quando aliqua controversia suboritur inter subditos reverendissimi domini cardinalis et episcopi Prixinensis et nostros, displicet nobis summum in modum pro nostra erga 5
prefatum reverendissimum d. cardinalem affectione et mutua benevolentia nostra, qui, si esset in partibus illis, non dubitamus, quod quamprimum opportune provideret quieti et tranquillitati prefatorum subditorum utriusque partis. Idque speramus vestram sp(ectabilitatem) esse facturam, cum has nostras litteras acceperit, pro eiusdem iusticia et rei honestate et equitate.

Hoc autem dicimus, quia ab annis duce[ntis] citra subditi nostri de Ampicio districtus Cadubrii³⁾ pacifice tenuerunt et possiderunt certos montes et pascua in confinibus vallis Marebii⁴⁾ iurisdictionis 10
prefati reverendissimi domini cardinalis.⁵⁾ Ab annis vero decem citra vel circa prefati homines de Marebio non cessant turbare prefatos subditos nostros et arripere eorum animalia in eorum maximum detrimentum. Novissime autem prefati subditi nostri acceperunt illis de Marebio certa animalia, quia venerant in territorio nostro ad pasculandum, et ea tenent cum magna eorum expensa. Super qua materia lata est per 15
capitaneum nostrum Cadubrii⁶⁾ sententia quedam contra ipsos de Marebio, quod bene pignerati fuerint, et eos in expensis condemnavit, que iam taxate sunt. Ex his autem prefati de Marebio minantur subditis nostris mortem malam et igne ferroque eos exterminare velle asseverant, que res non convenit prefate affectioni et mutue benivolentie nostre.

Quamobrem vestram sp(ectabilitatem) rogamus, ut iubere et cum effectu providere velit, quod dicti de 20
Marebio et alii subditi prefati reverendissimi domini cardinalis ab omnibus novitatibus se abstineant et amice vicinent et conversentur cum subditis nostris et eos non turbent in eorum pacifica possessione montium et pascuorum suorum, quoniam iussimus ipsos subditos nostros illud idem servare debere erga subditos prefati reverendissimi d. cardinalis. Animalia autem eis ablata iussimus restitui; modo expensas taxatas solvant, sicut iustum est et honestum.

Data in nostro ducali palatio die xiiii^o mensis novembris, indictione vii^a, anno m^occcclviii^o. 25

(Adresse rückseitig) Spectabili viro domino Johanni Liechestaner (!), capitaneo Burnici et reverendissimi d. cardinalis et episcopi Prixinensis locumtenenti.

¹⁾ Pasquale Malipiero, Doge von Venedig (1457-1462); s. F. Rossi, in: DBI 68 (2007) 217-222.

²⁾ Bartholomäus von Liechtenstein, Hauptmann des Hochstifts Brixen und Statthalter des NvK; s.o. Nr. 5739. Die Angabe des Vornamens Johannes ist offenbar ein Versehen des venezianischen Kanzleischreibers.

³⁾ Cortina d'Ampezzo in der venezianischen Herrschaft Cadore.

⁴⁾ Enneberg.

⁵⁾ Zu diesen Grenzstreitigkeiten s. zuletzt oben Nr. 5304, 5362. Vgl. unten Nr. 5930.

⁶⁾ Francesco Nani, Hauptmann von Cadore; s.o. Nr. 4898, 5304.